



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XI. Ad Martii Quæsitum primum. Argumentum. Quæritur: quæ sit materia Eucharistiæ pro consecratione Corporis Christi? Ostenditur, esse panem azymum in Ecclesia Latina; fermentatum in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

to præstitis communicent. Si qua verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut digne frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiore, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere sive Laici negotiatores sint, sive conjugati sive quicunque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini iudicii formidine discant celestem Mensam, in qua Christus est, revereri. Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere; seque ad maiorem præparationem accingere. Episcopi autem in quorum Diocæbus viget huiusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant; eamque ipsi, adhibito prudentia, & iudicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentie parcendum, ut omnis irreverentia, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde contingeret, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint; quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in mortem tradidit, atque in celesti Regno se premium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguent asserentes, Communionem quotidianam esse de Jure Divino; doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis, sumendam Sanctissimam Eucharistiam; nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve Missalis Rubrica, & Ecclesie Romane usus serventur. Insuper admoveant, nulli tradendas plures Eucharistie formulas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas; nec permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse; neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrasacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præfens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Præfectus.

S. Archiepisc. Brancatius Episc. Viterb.

Secretarius.

Die 15. Mensis Februarii 1679.

Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per urbem ad valvas Curia, & in acie Campi Flora, ut moris est, per me Aegidium Felicem SS. D. N. Papa Cursorem.

Pro D. Mag. Curforum Gregorius Staggius
Apost. Curs.

DECISIONIS XI.

Ad Martii Quæsitum primum.

ARGUMENTUM.

Quæritur, quæ sit materia EUCHARISTIÆ pro consecratione Corporis Christi? ostenditur, esse panem azymum in Ecclesia Latina; fermentatum in Ecclesia Græca. Ne ignoretur ratio, & causa diversitatis, probatur, in utraque Ecclesia consecratum semper fuisse panem azymum usque ad annum MLIII. quo tempore Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus cœpit consecrare in pane fermentato. Breviter sed concludenter discutitur acerrima hæc controversia de fermentato, & azymo pane. Mendum detergitur asserentium, CHRISTUM Dominum non instituisse EUCHARISTIAM luna decimaquarta Mensis Martii, neque passum, & crucifixum luna decimaquinta. Veritas aperitur, & firmatur. Orientalium argumenta evacuuntur; & Ecclesiam Latinam jugiter in azymo consecrassse perhibetur; idque SS. Evangelistarum, Patrum, Conciliorum, historia, rumque testimoniis stabilitur.

S U M M A R I U M.

1. Materia Eucharistia quanam sit in consecratione Corporis Christi?
2. Materia ejusdem que sit inepta?
3. Materia dubia Eucharistia qua?
4. Materiam dubiam consecrare non licet; & opinio contraria est damnata ab Innocentio XI. anno 1679.
5. Panis azymus in Ecclesia Latina, & fermentatus in Ecclesia Græca est materia Eucharistia; ex Decreto Concilii Florentini sub Eugenio IV. & ex Constitutione 12. Sancti Pii Quinti.
6. Controversia de azymo, & fermentato inter Ecclesiam Latinam, & Græcam cur, quomodo, & quando orta fuerit?
7. Azymo in pane Ecclesiam Orientalem per decem prima sæcula Eucharistiam consecrassse probatur septem præcipuis rationibus.
8. Azymo pane semper usa est Ecclesia Latina in consecratione Eucharistia.
9. Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopol. anno 1053. cœpit consecrare Eucharistiam in pane fermentato.
10. Michaeli, Cerularii error, quod Christus consecraverit in fermentato.
11. Judei die decimaquarta mensis Martii ad vespas comedebant azyma, ablato penitus fermento.

12. Phase

- 12 Phæse erat comestio agni cum azymo pane, & lactucis agrestibus die decimaquarta Martii ad vespas.
- 13 Azymorum comestio durabat à vespere diei decimiquarti per septem dies sequentes apud Hebræos.
- 14 Dierum legalium, naturalium, & artificialium differentia.
- 15 Christus Dominus consecravit Eucharistiam in pane azymo.
- 16 Dies festus Pasche Hebræorum erat decimusquintus mensis Azartii.
- 17 Dies Mortis Christi fuit decimaquinta mensis Martii, festiva Pascha.
- 18 Judæorum Principes anno, quo occiderunt Christum, distulerunt Pascha ad diem decimam sextam Martii, ex traditione Rabbiorum contra preceptum legis.
- 19 Nicolaus de Lyra, seu Lyranus, fuit primum Judæus, & Rabbini, postea Christianus, & Religiosus Ordinis Seraphici S. Francisci.
- 20 Julius Maurocenus primum Judæus, & Rabbini, scripsit anno 1683. librum contra Hebræos.
- 21 Peritis in arte standum est.
- 22 Pentecostes dicitur à Pente, idest quinque, & à Coste, idest, decem, quia quinques decem dies decurrebant à festo Pasche ad Pentecostem.
- 23 Dominicus Macer laudatur.
- 24 Ebionita Heretici volebant imitari sacrificium Judæorum de agno, pane azymo, & lactucis agrestibus.
- 25 Fermentum nominatum in Epistolis Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii Primi, erat Panis benedictus, seu Eulogia, non autem Eucharistia.
- 26 Particula consecrandæ, olim appellabantur Oblata, hodie Hostiæ. Et cur?
- 27 Honorius Papa III. præcepit, imaginem Crucifixi insigi in Hostiis consecrandis.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quanam sit Materia Eucharistia in consecratione Corporis CHRISTI.

- F**uit in responsis dictum, esse Panem triticeum, aqua naturali confectum, igne per modum affactionis decoctum azymum in Ecclesia Latina, in Græca autem fermentatum. Ita ex S. Thom. 3. part. q. 74. art. 3. 4. nec non ex Scoto in 4. dist. 11. part. 2. q. 6. docent Emin. Cardin. de Lauræa in 4. Sent. tom. 1. disp. 18. art. 1. Mastrius in eodem disp. 3. q. 3. art. 1. & in Theolog. Moral. disp. 18. à num. 16. Collegium Salmanticen. in Cursu Theolog. Moral. tom. 1. tract. 4. de Sacram. in genere cap. 4. punct. 1. Lessius in Opere posthum. de Sacram. Euchar. q. 74. art. 3. & alii DD. per me allagati in Decisionibus anni 1687. de Sacramentis in genere, ubi docui esse materiam ineptam invalidam pro conficienda Sanctissima Eucharistia panem ex avena, hordeo, rideo, castaneis, ex mellica, fargo, seu frumentono, ac ex farina Amydi; & ulterius eadem ineptitudine, & invaliditate affici panem triticeum, si coagulatus fuerit aqua rosacea, vel alio liquore majorem quantitatem aquæ naturalis superante, vel si sit compositus cum multo butyro, adipe, pipere, melle, aut saccharo, quales sunt vulgò i buzzoladi, & fogacciette. Et tandem non esse ma-

teriam sufficientem triticeum panem crudum, vel aqua elixum veluti pasta cruda, lagana, pulis, & pastilli farinacei, vulgariter Macheroni, ex traditis à Bonacina t. 1. de Sacram. Euchar. disp. 2. q. 2. punct. 1. à Vulpio in Resol. Moral. resol. § 1. à Laymano lib. 5. tract. 4. c. 2. à Summa Diana verb. Materia Euchar. & Gobato in Theol. experim. tract. 3. à n. 26. qui omnes Auctores advertunt, esse Eucharistiæ materiam dubiam panem è zea idest (spelta) filigine, seu secala, aut farre; vel si cum farina triticea immisceatur aliquid olei, butyri, mellis, piperis, seu adipis; vel conficiatur Hostia ex Tipha, aut cum aqua maris, vel cum cinabrio rubro, quales sunt Hostiæ ad figillandas litteras, aut etiam cum aqua rosacea, eâ ratione quia panis triticeus, ut sit materia apta ad consecrandum Corpus CHRISTI, debet esse panis usualis, quo usus est ipse Dominus in consecratione; videlicet compositus ex farina triticea, & aqua naturali, & ita coctus igne, ut per eum affleat, vel torreatur, sive in furno, sive sub cineribus, sive in frixorio, aut ferro calido.

Ex quibus sequitur, non esse licitum celebrare Missam, seu consecrare Eucharistiam cum materia dubia. Diana Coordinatus tom. 2. tract. 2. resol. 1. desumpta ex part. 3. tract. 6. resol. 95. Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 11. Chapeavil. De modo administr. Sacram. tempore pestis cap. 4. qu. 19. & Suarez de Euchar. disp. 44. sect. 1. vers. tertio. Quos bene citat, sed male deserit, contrarium etiam probabile dicens Gobato in sua Theolog. exper. tract. 3. n. 33. & 34. Præcipue post damnatas propositiones ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. Propositione prima, ut novissime notat P. Thyrlus Gonzalez in Fundament. Theol. Moral. dissertatione X. n. 19. subdens Ministrum Sacramentorum teneri ad apponendam materiam, & formam certam, graviterque peccare, & Sacrilegium committere, si extra casum necessitatis utatur materia, vel forma dubia, aut incerta, omissa certa; etiamsi id faciat sequendo opinionem prabilem speculative; aut etiam probabiliorum, vel probabilissimam de veritate, & sufficientia illius ad Sacramenti valorem. Porro Eucharistiam non esse medium necessarium salutis, saltem in re, habetur ex S. Thom. 3. part. q. 73. art. 3. ex Scoto in 3. dist. ult. quæst. unica. D. & docent inter Scholasticos, Gonetius tom. 5. de Sacrament. Euchar. secundum se disp. 2. art. 4. §. 2. Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. in 4. sent. disp. 26. art. 1. & inter Morales Villalob. in summa tom. 1. tract. 7. diffie. 5. n. 5. Reginald. lib. 29. num. 2. & Bonacina, alios cumulans, tom. 1. de Sacrament. Euchar. disp. 4. qu. 1. punct. 3.

Fuit autem dictum, quod panis, pro materia Eucharistiæ, debet esse azymus in Ecclesia Latina, at fermentatus in Ecclesia Græca. quia et si utroque pane valide consecratur Corpus Christi, ut definitum fuit ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, & ibi habetur in Litteris Unionis, §. Item in azymo: & notant omnes Theologi, inter quos idem Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. disp. 18. num. 20. & Emin. Cardin. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 4. n. 7. Gonet. d. tom. 5. de Materia Euchar. disp. 3. n. 7. Mastrius d. tom. 4. in 4. sent. disp. 3. n. 80. & in Theolog. Morali disp. 18. n. 17. Nihilominus prohibitum fuit à S. Pio Quinto in Constit. XII. incipien. Providentia Romani Pontificis, tam Latinis consecrare in fermentato quam

quàm Græcis in azymo, sub quovis prætextu, sub poena suspensionis à Divinis; à qua, non video, quomodo præservare transgressores possit opinio Moralistarum aliter sententium, quos allegat, quamvis non sequatur, Diana Coordinatus tom. 2. tract. 1. res. 205. & 206. quarum prior est in Veteri part. 3. tract. 6. res. 99. Posterior part. 10. tract. 16. res. 40.

Et quoniam dedecet Ecclesiasticos ignorare causam, & tempus diversitatis Rituum, quos utraque Ecclesia servat; Occidentalis scilicet, & Latina consecrando panem azymum; Orientalis verò, & Græca panem fermentatum; referenda hic summam est historia, & controversia de azymo in tribus sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio. Utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis, Græca, & Latina celebravit in azymo ab initio Christiana Religionis usque ad tempus Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani, videlicet usque ad annum millesimum quinquagesimum tertium, sub Leone Nono Summo Pontifice Romano. Hujus conclusionis propugnator est Emin. Card. Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 7. cujus hæc sunt verba: Hæc controversia circa annum Domini MLIII. est orta, ut Leo Nonus Papa testatur in Epist. ad Michaelē Episcopum Constantinopolitanum cap. 1. tunc enim primum Græci reprehendere ceperunt Latinos, quod azymum panem in Sacram. Euchar. assumerent. Quod autem ipsa Ecclesia Græca per prædictum decem sæculorum cursum semper consecraverit in azymo, & abstinerit à fermentato, probatur.

Primo: quia Sancti Patres Græci tenuerunt, & docuerunt, Christum Dominum instituisse Sanctissimam Eucharistiam in azymis (quod inferius demonstrabitur) ac proinde eos fuisse semper sectatos exemplum Christi; qui non adhibuit in consecratione sui Corporis fermentatum panem; ut docent Origenes tract. 35. in Matthæum. S. Jo. Chrysostomus in eundem homil. 35. Theophilus qu. 24. in Exod. & alii, quos citant Emin. Card. Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 8. Vasquez disp. 172. cap. 2. Hugo Cardin. in Comment. in Joann. c. 13. & novissime duo Græci eruditi scriptores, Gennadius in Apologia adversus Marcum Ephesum; & Arcudius lib. 3. de Sacram. Eucharistia cap. 5. & 6.

Secundo: probatur ex verbis S. Epiphani, qui referendo errores Ebionitarum hæres. 30. sic ait: Baptisma porro etiam ipsi accipiunt præter hoc, quod quotidie baptizantur, & in aquis se mergunt. Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia, ab anno in annum per azymos, idest non fermentatos panes; & alterum mysterii partem per aquam solum. Si igitur celebrabant mysteria, idest Sacrificium Missæ, per azymos, ad imitationem Sanctorum, ipsi Ebionitæ, qui in primo sæculo fuerunt. Cardin. Baronius, & Spondan. Anno 34. dicendum sequitur, Sanctos Patres Græcos primi, secundi, tertii, & quarti sæculi solitos fuisse consecrare in azymo, teste S. Epiphanio Salaminae Cypri Episcopo, qui floruit quarto sæculo sub Valente Gratiano, & Theodosio Augustis. Eminentiis. Cardinal. Bellarm. de Scripturis Ecclesiasticis. Anno 370.

Tertio: probatur ex verbis S. Jo. Chrysostomi in epist. 1. ad Corinth. c. 5. sic dicentis: Primum autem dicamus, quamobrem ex omnibus finibus fermentum expellitur. Quodnam hoc anigma? O-

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 11,

portet ut omnem malitiam fidelis abiciat; ut enim Judæus perit, cum apud eum vetus invenitur fermentum; sic apud nos is, in quo invenitur malitia. Ex hac fermenti derefectione S. Jo. Chrysostomum in azymis consecrasse, & apud alios SS. Patres Græcos eundem ritum azymorum in usu fuisse, tenet Theophylactus Commentar. in Matth. cap. 26. Marc. c. 14. Luc. c. 22, & in Epist. 1. ad Corinth. c. 5. & Arcudius d. lib. 3. de Sacram. Euchar. c. 5. & 6.

Quarto: probatur ex communi sententia gravissimorum virorum, quos citat P. Macedo in Disquisit. de Azymo cap. 13. Et Emin. Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 23. num. 1. attestantium Armenos à tempore S. Sylvestri Papæ semper fecisse in azymo, quod corroboratur tum ex Metaphraste apud Surium die 30. mensis Septembris, tum ex Epistola 1. Gregorii Papæ VII. lib. 8. Epistol. sic dicentis ad Episcopos Armenos: Quia cognovimus Ecclesiam vestram azymo sacrificare, & ob hoc à Græcis dumtaxat imperitis, quasi de hæresi reprehendi. Porro in Synodo Trullana, quæ celebrata fuit anno 707. in Canon. 32. Armeni reprehenduntur, quia solum vinum sine aqua admixtione in Sacro Altaris ministerio adhibebant; nulla autem nota iisdem inferitur, quod in azymis conficerent. Ergo validum resultat argumentum, quod Ecclesia Orientalis ejus Episcopi Græci dicto anno fuerant ad Synodum convocati in Trullo, idest Constantinopoli, in Imperiali Palatii Secretario, superne fornicato; ritum panis azymi retinebat, & nequaquam in fermentato SS. Eucharistiam consecrabat; aliàs redarguissent Armenos non solum, quod sine aqua consecrarent, sed etiam quod fermentatum panem non adhiberent.

Quinto: pariter probatur ex insigni illa molestia, quam Photius Patriarcha Constantinopolitanus anno 867. intulit Nicolao Papæ, & toti Latine Ecclesiæ, illam eriminando, quod Sabbato jejunaret, quod Presbyteris nuptias prohiberet, quod iisdem, ne infantes in fronte Sacro Chrysmate signarent, vetaret, & alia, de quibus Emin. Card. Baronius d. anno 867. sed inter cetera, quod permitteret in Paschate agnum assum benedicendum in Altari poni; nihil autem Photius locutus fuit de pane azymo, in quo Occidentalis Ecclesia consecrabat, unde desumitur concludens argumentum, quod eadem Ecclesia Orientalis non erat in hoc ritu difformis à Latina; alioquin si hanc suggillabat, quod more Judæorum admitteret agnum assum in Altari; quomodo eam Photius non esset criminatus, quod etiam azymum panem consecraret; nisi omnes Græci eundem ritum panis azymi tunc retinissent? Ita erudito calamo P. Macedo d. Disquis. de Azymo cap. 3. pag. 36. vers. Adhibeamus.

Sexto: idem probatur, quia Michael Cerularius dicto anno 1053. alive Græci Patres, contra quos disputarunt Legati Apostolici missi à Leone Nono Constantinopolim, super prætenso ritu fermentati, nunquam allegarunt antiquam, seu immemorabilem consuetudinem; quod quidem fecissent, si panis fermentatus in anteaetis sæculis fuisset in usu; ut constat ex Opusculo Humberti Cardinalis adversus eosdem Græcos in Bibliothec. Patrum tom. 11. Quod neque fecerant in Concilio Florentino tempore Eugenii Quarti, in quo disputarunt de sufficientia panis fermentati

E

pro

pro consecratione, non autem de immemorabili consuetudine ab initio Orientalis Ecclesiæ; & priscorum Patrum ejusdem.

Septimò. Quia cum Nestorius Hæresiarcha anno 428. docuisset, esse consecrandum in fermentato, ut diximus suprà Dec. 6. pag. 17. statim Oecumenica Concilia Orientalia ejus doctrinam damnarunt, ut docet Salelles lib. 3. cap. 9. Regul. 244. num. 127. quod non fecissent, si Ecclesia Orientalis solita fuisset conficere Eucharistiam in pane fermentato.

Quod autem Occidentalis, & Latina Ecclesia ab initio, & semper servaverit ritum azymi panis in consecratione Divinæ Eucharistiæ pariter probatur.

Primò ob exemplum CHRISTI DOMINI, de quo infrà; & traditionem Apostolorum, à quibus hunc ritum, præcipuè ab Apostolorum Principe fuit edocta; ut bene Leo IX. in epist. 1. c. 5. contra eundem Michaëlem Cerularium deducit his verbis: Ecce jam post mille, ac ferme viginti à Passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis sit recolenda; quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & institutio, seu qua glorificavit Deum mors pretiosa illius Senis, cui specialiter Christus Dei vivi dicit: Beatus es Simon Bar-Iona. Et in eadem Epist. cap. 6. Non ergo perpendistis, quanta imprudentia dicatur Patri, qui est in Cælis, abscondisse à Principe Apostolorum Petro cultum, sive ritum visibilis Sacrificii, per dispensationem Unigeniti Filii sui, cui per semetipsum revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis Divinitatis ejusdem Filii sui. Fatetur apertè in his verbis Romanus Pontifex, Ecclesiam Romanam servare ritum panis azymi in Sacrificio Missæ; receptum ab Apostolorum Principe Petro. Idem professus est Greg. VII. in lib. 8. Epist. Pontific. ep. 1. & Innoc. III. lib. 4. de Myst. Missæ c. 4. ibi: Non fermentatum, & azymum consecramus, nam secundum Apostolum Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, & nequitia; sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Quare Humbertus Card. in supradicto Opusculo subdit: Vestra duplicitas suo fermento contenta, Romana, & Latina simplicitati azymum extorquere desinat; & mox: Prima scilicet Ecclesia ad hac moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit. Non hæc dixissent Romani Pontifices, & eorum Legatus in faciem totius Ecclesiæ Orientalis; si semper, atque semper Ecclesia Occidentalis ritum azymi panis, ab Apostolis acceptum non custodisset.

Secundò probatur ex eo, quod per decem integra sæcula, à principio scilicet Ecclesiæ usque ad motam controversiam de fermentato per Michaëlem Cerularium, nullus ex tot, & tantis Doctoribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis annotavit, Ecclesiam Latinam in fermentato pane consecrassè, sed è contra omnes Sancti scribentes summis laudis azyma extulerunt, & fermentum execrati sunt, cum istud malitiam, illud puritatem exprimat; quod quidem non fecissent, nec facere potuissent, si Sanctissimam Eucharistiam conueissent in pane fermentato consecrare. Extant memorie varietatis aliorum rituum, seu caeremoniarum in diversis Ecclesiis, scilicet Ambrosiana, Aquilejensi, Gallicana, Hispanica,

Aphricana, de quibus S. August. in Epist. ad Casulanum. & lib. 6. Confess. Sed mutationis panis azymi nullum est testimonium; ea ratione quia concorditer semper, atque semper omnes Ecclesiæ in azymo consecrarunt, sequitur axemplum Apostolorum, & Præceptum Divi Pauli. 1. Cor. 5. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitia; sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

Tertiò ad probationem majorem sunt referenda hæc nonnulla SS. PP. testimonia. Anno 160. S. Cyprianus Martyr in Sermonem in Cæna Domini, loquens de SS. Eucharistia ait, inter cætera: Panis itaque hic azymus, cibum verum, & sincerus, per speciem, & Sacramentum nos taliter sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat, & sicut panis communis, quem quotidie sumimus, vita est corporis, ita panis iste Super-substantialis vita est anima, & sanitas mentis. Et paulò post: Quibus unus est panis unum est corpus, & omnium cor, & anima una uni Christo adherens; cætera omnia quasi fermentata resurgens in unius azymi sinceritate latatur. Et inferius: Non oportet esse fermentarios novi testamenti ministros; puras, sinceræque mentes sanctum querit Convivium. Ann. 390. S. Gaudentius Episc. Brixie ita scripsit tract. 2. in Exod. Caro etiam Agni cum azymis panibus, & lactucis agrestibus est edenda, ut cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris sletibus affligamus. Anno 410. S. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum propè finem inquit: Si quis Pascha agit non in azymis sinceritatis, & veritatis, ut exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ, & nequitia; iste attendit fabulis, & umbras sequitur. Ann. 420. S. August. Sermon. 6. de Verbis Apostoli c. 5. ita subdit: Celebratur Pascha in veteri populo sicut Nobis occasione agni cum azymis. Notetur ly sicut Nobis. Et notans differentiam inter nostrum Pascha, & illud Judæorum eam tantum ponit in diversitate agni, dicens lib. 2. contra Iulian. Petilian. Aliud est Pascha, quod adhuc illi de eve celebrant: aliud autem quod nos in Corpore, & Sanguine Domini accipimus; servata scilicet in reliquo azymi panis qualitate. Et lib. 32. c. 11. contra Faust. facta comparatione utriusque Paschæ, mysterium explanans subdit: Azyma verò, qui recta fidei Christiane sunt, non in fermento veteris vite; sed in ipsius fidei veritate, & sinceritate custodiunt. Anno 600. S. Greg. Magnus relatus à S. Thom. 3. par. quæst. 74. art. 4. dicit in Registro: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quòd Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed quoniam hodie hoc testimonium in libris S. Greg. non invenitur, quamvis valde deferendum sit auctoritati S. Thom. illum referentis, etiam lib. 4. Genes. cap. 69. & in Opusc. 1. contra errores Græcor. circa finem cap. 68. alius locus affertur potest scilicet rom. 2. Rom. 23. ibi: Edent Carnes, & azymos panes; ubi S. Doctor explicat. Nolite agnum comedimus, quia modo in Sacramento Dominicum Corpus accipimus, quando adhuc invicem nostras conscientias non videmus. Et paulò post: Panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanaglorie facit. An. 835. Rabanus Maurus natione Germanus, Abbas Fuldenis, & Episc. Moguntinus in lib. 1. de Instit. Cleric. c. 31. lo-

31. loquitur manifestè his verbis: Ergo panem in fermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sacrificari oportet. Et iterum: Quod autem panem sacrificii sine fermento esse oporteat, testatur liber Leviticus, ubi commemoratur, Dominum per Moysen ita præcepisse: omnis, inquit, oblatio, qua offertur Domino, absque fermento fiat. Plurima SS. PP. loca alia, quibus probari potest antiquis illis temporibus panis fermentati proscriptio ab Eucharistica Mensa in Ecclesia Latina, congerit P. Macedo in citat. *disquis. de Azymo* c. 6. & Ciampinus *cod. tract. c. 3.* ubi ex professo de sæculo in sæculum adducit testimonia probantia, ab initio Ecclesiæ, per annos mille, semper apud Latinos Eucharistiam fuisse confectam in azymo pane.

Quarto: confirmatur inveteratus, & semper custoditus ritus azymi panis in Ecclesia Latina testimonio omnium DD. qui post motam controversiam à Michæle Cerulario, eandem impugnarunt; omnes enim professi sunt, per omnia evoluta sæcula juxta traditionem Apostolorum, & exemplum Christi, Occidentalem Ecclesiam Eucharistiam in azymo pane confecisse, ut videri potest, præter S. Thom. S. Bonav. & Scotum, apud Abulens. *part. 2. defens. in X. capit. Franciscum Ribera* lib. 5. de Templo cap. 3. & seq. Marcell. Francolin. de Hæres. Canonis cap. 5. & seq. Card. Bellarm. de Sacram. Euchar. lib. 4. à cap. 4. ad XII. Suarez. de Euch. dist. 44. Henric. de Sacram. Euchar. c. 10. & Vasquezium de *cod. Euch. Sacram. dist. 162.* Et hæc de prima conclusione.

Secunda Conclusio: Michæle Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, & cum eo Nicetas Abbas Pectoratus, alique Græci, dislo sæculo 1053. introduxerunt panem fermentatum in consecratione Eucharistiæ; falso opinantes. CHRISTUM DOMINUM consecrasse suum Sanctissimum Corpus in pane fermentato, non quia id egerit, non decima quarta luna in Vespere, quando comederetur agnus cum azymis, & lactucis agrestibus; sed luna decima tertia: ita ut passus non fuerit luna decima quinta, qua erat prima dies solemnis Pasche Azymorum, sed die præcedenti. Hoc esse fundamentum Ecclesiæ Orientalis, & fuisse motivum 10 Michælis Cerularii, & sequacium testantur tum Leo Nonus in *Epistol. 6.* dicens: Adstruere conantur, fermentatum fuisse panem, quo Dominus Apostolis suis Corporis sui mysterium in cœna commendavit. Tum Innocentius Tertius lib. 4. de *Myster. Missæ* c. 4. in illis verbis: Græci, in suo pertinaces errore de fermentato consueverunt; afferentes in Parasceve lunam decimam quartam extitisse; in qua Verus Agnus est immolatus, ut legis impleatur figura qua luna 14. primi mensis Paschalem agnum iusserat immolari. Tum etiam S. Thomas qui in 4. dist. 11. q. 2. ad 3. inquit: Græci asserere voluerunt, Dominum in fermentato confecisse. Et quia tres Evangelistæ concorditer dicunt, primam die Azymorum Dominum instituisse hoc Sacramentum, in eandem insaniam quidam ex eis proruperunt, ut dicerent, Evangelistas illos falsum scripsisse, & à Joanne fuisse correctos.

Ut autem manifestè cognoscatur error prædictus, cui Græci innituntur; supponendum est: Primo, præceptum fuisse Judæis, ut quolibet primo mense anni, id est Martio, die decima quarta ad Vesperas comederent agnum altum, cum pane azymo, & lactucis agrestibus, ablato penitus fermento per septem dies sequentes; sic enim legitur, Exod. c. 12. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas, Et servabitur eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad Vesperam. Et edent carnes nocte illa assasæ, & azymos panes, cum lactucis agrestibus. Et infra: Habebitis autem hanc diem in monumentum; & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultus sempiterno. Septem diebus azyma comeditis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris; qui nunquam comederit fermentum, peribit anima illa de Israël, à primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta, atque solemnitas, & dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his, qua ad vescendum pertinent. Et paulo post iterum: Primo mense, quatuordecima die Mensis ad Vesperam comeditis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad Vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Hæc eadem solemnitates præcepit Deus in *Levit. cap. 23.* ibi: Mense primo; quatuordecima die mensis ad Vesperam Phase Domini est: & quatuordecima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est. Septem diebus azyma comeditis; dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo. Supponendum Secundo: quod in decima quarta die, hujusque primi mensis incipiebant duæ solemnitates; Una, qua dicebatur 12 Phase, & consistebat in comestione agni ad Vesperas, cum azymis, & lactucis agrestibus; & hæc dicebatur comedere Paschas; fiebatque semel in Vespere ipsius diei decimæ quartæ tantum. Alia solemnitas erat manducatio azymorum, qua 13 durabat usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis inclusive. De prima dicitur, *Lev. 23. 5.* Mense primo, quatuordecima die mensis ad Vesperam, Phase Domini est. Item *Deuter. 16. 6.* Immolabis Phase Vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto. De secunda autem: *Levit. eod. cap. 23. 6.* Quatuordecima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est. Septem diebus azyma comeditis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo. Item *Deut. 16. 3.* Non comedes in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento assuetionis panem. Supponendum est Tertio: quod aliter accipiebantur dies legales, aliter dies naturales, & aliter dies artificiales. Incipiebant legales dies à Vespere præcedentis diei, 14 usque ad Vesperam subsequenter juxta illud *Levit. 23. 32.* A Vespere usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Eo modo, quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officium à prima Vespere usque ad secundam. S. Thom. in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. *questiunc. 3. ad 3.* Dies naturales accipiebantur vel à media nocte antecedenti usque ad mediam noctem subsequenter, sive ab ortu Solis in ortum subsequenter, ut innuit D. Thom. *ibid.* Dies artificiales condistinguebantur etiam sicut modo contra noctem; ita ut comprehenderent tantum illud spatium, in quo lux Solis apparebat. *Gonet, tom. 5. de Sacram. Euchar. dist. 2. n. 99.*

His præsuppositis facillè probatur CHRISTUM DOMINUM instituisse SS. Eucharistiam in pane azymo; mo, & lactucis agrestibus, ablato penitus fermento per septem dies sequentes; sic enim legitur, Exod. c. 12. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas, Et servabitur eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad Vesperam. Et edent carnes nocte illa assasæ, & azymos panes, cum lactucis agrestibus. Et infra: Habebitis autem hanc diem in monumentum; & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultus sempiterno. Septem diebus azyma comeditis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris; qui nunquam comederit fermentum, peribit anima illa de Israël, à primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta, atque solemnitas, & dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his, qua ad vescendum pertinent. Et paulo post iterum: Primo mense, quatuordecima die Mensis ad Vesperam comeditis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad Vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Hæc eadem solemnitates præcepit Deus in *Levit. cap. 23.* ibi: Mense primo; quatuordecima die mensis ad Vesperam Phase Domini est: & quatuordecima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est. Septem diebus azyma comeditis; dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo. Supponendum Secundo: quod in decima quarta die, hujusque primi mensis incipiebant duæ solemnitates; Una, qua dicebatur 12 Phase, & consistebat in comestione agni ad Vesperas, cum azymis, & lactucis agrestibus; & hæc dicebatur comedere Paschas; fiebatque semel in Vespere ipsius diei decimæ quartæ tantum. Alia solemnitas erat manducatio azymorum, qua 13 durabat usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis inclusive. De prima dicitur, *Lev. 23. 5.* Mense primo, quatuordecima die mensis ad Vesperam, Phase Domini est. Item *Deuter. 16. 6.* Immolabis Phase Vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto. De secunda autem: *Levit. eod. cap. 23. 6.* Quatuordecima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est. Septem diebus azyma comeditis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo. Item *Deut. 16. 3.* Non comedes in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento assuetionis panem. Supponendum est Tertio: quod aliter accipiebantur dies legales, aliter dies naturales, & aliter dies artificiales. Incipiebant legales dies à Vespere præcedentis diei, 14 usque ad Vesperam subsequenter juxta illud *Levit. 23. 32.* A Vespere usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Eo modo, quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officium à prima Vespere usque ad secundam. S. Thom. in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. *questiunc. 3. ad 3.* Dies naturales accipiebantur vel à media nocte antecedenti usque ad mediam noctem subsequenter, sive ab ortu Solis in ortum subsequenter, ut innuit D. Thom. *ibid.* Dies artificiales condistinguebantur etiam sicut modo contra noctem; ita ut comprehenderent tantum illud spatium, in quo lux Solis apparebat. *Gonet, tom. 5. de Sacram. Euchar. dist. 2. n. 99.*

His præsuppositis facillè probatur CHRISTUM DOMINUM instituisse SS. Eucharistiam in pane azymo;

azymo; siquidem id egit die decimaquarta primi mensis ad Vesperam; quando comedendus erat agnus, & prohibitum erat fermentum juxta supranotatas scripturas. Id testantur expresse omnes Evangelistæ. Nam S. Mattheus 26. 17. ait: *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Sed Pascha comedebatur die decimaquarta primi mensis ad Vesperam; & tunc incipiebat primus dies legalis Azymorum. Deinde: *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha, Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Et paulo inferius: *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum.* At in hoc Vespere, ut notatum est, panis fermentatus haberi non poterat. Ergo Dominus IESUS consecravit Corpus suum in pane azymo. Pariter S. Marcus Evangelista cap. 14. 12. scribit. *Et primodie Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò viscamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Et facta præparatione sequitur: *Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus ait IESUS: scabuno ex eis esse tradendum; Deinde: Et manducantibus illis, accepit IESUS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc est Corpus meum.* Similiter S. Evangelista Lucas cap. 22. 7. ita narrat: *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha:* Ergo die decimaquarta mensis primi ad Vesperam. Sequitur textus: *Et paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Subindè: *& accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Tandem S. Joannes Evangelista notat cœnam paschalem factam à Domino cum discipulis ante diem festum Pasche. *Joan. 13. 1.* Sed dies festus Paschæ erat dies decimus quintus mensis ex Exod. 12. & Levit. 23. supra relatis. Ergo concludentissime constat, Salvatorem nostrum Sanctissimam Eucharistiam consecrassè luna, seu die decimaquarta primi mensis, post illius diei secundas Vesperas, quæ erant primæ Vespere diei decimaquintæ, festivæ, tanquam primæ ex septem diebus Azymorum: cumque dicto Vespere lunæ decimaquartæ prohibitus esset panis fermentatus, totus panis azymus fuit in cœna; & in eodem azymo suum Corpus consecravit. Ita semper tenuit, & tenet Ecclesia Latina, de hac veritate à SS. Apostolis edocta, ut tradunt omnes Catholici Scriptores. S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 4. & in 4. Sent. dist. 11. quæst. 2. ibid. S. Bonaventura art. 2. quæst. 1. & Scotus dist. 11. quæst. 6. Emin. Card. Bellarmin. lib. 4. de Euchar. cap. 8. Card. Baronius in Annalib. ann. Christi 34. Sallianus ad annum Mundi 4086. num. 5. & 14. Torniellus ad Mund. annum 4084. n. 8. Et ex Scholasticis modernis Gonet. dist. 5. de Sacram. Euchar. d. dist. 2. art. 5. Agudius de Sacram. Eucharistia part. 4. c. 2. nec non Eminent. Card. de Lauræa d. tom. 1. in 4. Sent. dist. 18. art. 2. atque Leonardus Lessius quæst. 74. de Sacrament. Eucharist. art. 4.

Cæterum Orientalis Ecclesia, quæ tuetur fermentatum, plurima huic veritati opponit,

Primò: Dies ille, quo Dominus est occisus, non fuit festus. Ergo non occisus luna decimaquinta; sed decimaquarta; & ex hoc sequitur, Redemptorem comedissè Pascha die decimatertia ad Vesperam, quo tempore erat licitus panis fermentatus. Probant antecedens. 1. Quia Judæi dixerant in Concilio, esse quidem tradendum morti CHRISTUM, sed non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo Marc. 14. 2. Quia diebus festis prohibita erant Judicia; & eo die 15. mensis Judæi accusarunt, & condemnarunt Christum. 3. Quia in die festo non erat licitum emere, & vendere, sed eodem die mortis Domini Joseph emit Sindonem Marc. 15. Et mulieres paraverunt aromata, Luc. 23. Sed respondetur ad Primum: Timuisse quidem Judæos in Concilio, ne fieret tumultus in populo, si Christus detineretur in die festo; sed cum Judas obtulisset, se cum nocte traditurum, cessavit timor, & in die festo morti tradiderunt. Ita Lessius in Opere posthum. de Sacram. Euchar. dist. q. 74. n. 20. in fine. Ad Secundum respondetur: Non constare ex scriptura, actus Judiciales in festo fuisse prohibitos: & quatenus esset prohibitio, Judæi prævaricare legem non timuerunt, parati innocentem occidere. Gonet. dist. dist. 2. n. 114. ad Quartum, & Lessius ubi supra dist. num. 20. in fin. Ad Tertium respondetur: Emptionem, & venditionem pro operibus misericordiæ non fuisse prohibitam in die festo, prout erat mortuum sepelire; Sanctus Thom. ubi supra in 4. dist. 11. quæst. 2. Emin. Card. Baron. anno 34. n. 33. exemplificans de Tobia cap. 2. & de circumcissione, quæ fiebat etiam in die festo. Agudius d. tract. de Sacram. Eucharist. part. 4. cap. 1. à num. 12. & seqq.

Secundò: obijciunt Græci, quòd Christus non sit mortuus decimaquinta luna mensis primi, sed decimaquarta, eo quia de Judæis dicitur, quòd in die Passionis Domini, ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Joan. 18. 28. Et quòd erat Parasceve Pascha Joan. 19. 14. idest Præparatio, seu Vigilia Paschæ; Et intulerunt apud Pilatum, ne remaneret in cruce corpora Sabbato: *Erat enim magnus dies ille Sabbati.* Joan. 19. 31. Ex quibus inferunt Græci eam diem, qua Christus mortuus est, fuisse decimaquartam, in cujus Vespere Pascha manducandum erat, & incipiebat prohibitio panis fermentati; & per consequens Redemptorem instituisse Eucharistiam antecedenti die ad Vesperam, in qua adhuc erat licitus panis fermentatus; idest, luna decimatertia.

Unica responsione evacuant supradicta objecta Lyranus, Paulus Burgensis, Catherinus, & alii quos citant, sed non sequuntur Lessius d. q. 74. n. 22. & Gonet. dist. dist. 2. n. 111. dicendo quòd Judæi ex suorum Rabbiorum doctrina, & dispensatione distulerant commestionem agni ad Vesperam diei Veneris decimi quinti; ita ut prima dies Azymorum fuit pro ipsis dies Sabbati; qui propterea dicebatur Magnus ob duplicem solemnitatem, & quia erat Sabbatum, & quia erat primus dies Azymorum; At Salvator noster juxta legem manducavit Pascha in Vespere diei Jovis præcedentis, ut supra probavimus. Hæc responsio non est spernenda, ut infra videbimus.

Cæterum, quia pluribus Doctoribus non arridet, cum eis non videatur innixa solido fundamento; respon-

respondent, quod Judæi non introierunt in Prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha: intelligentes, pro ly Pascha non esum agni, qui fuerat immolatus Vespere antecedenti, sed esum panis azymi, & aliarum victimarum Paschaliū, quæ Deo offerebantur singulis illis septem diebus. Agudius d. part. 4. cap. 1. nu. 13. Præterquam quod omnes septem dies Azymorum dicebantur Pascha, ut notat Barrad, in *Itiner. Filior. Israël*, lib. 2. cap. 22. n. 23. ubi allegat exemplum Herodis, qui cum carcerasset S. Petrum in diebus Azymorum volebat post Pascha producere eum populo, *Act.* 12. Pariter respondent, quod ea dies mortis Domini dicebatur Parasceve Pascha, id est dies Veneris secunda Azymorum, in qua Judæi de more præparabant cibos pro sequenti die Sabbati; & ex hoc vocabulo nihil deducitur, quod demonstrat, Sabbatum sequens fuisse primum diem Azymorum, nam omnis sexta feria vocabatur Parasceves. Et non sine mysterio in Evangel. postea vocatur Parasceves Judæor. 70. 19. 42. ut sciremus esse solitum diem, quo Judæi præparabant necessaria pro sequenti die Sabbati. Tandem institerunt Judæi, ne remaneret in cruce corpora Sabbato, quia secundum legem suspensi in patibulo eadem die sepeliendi erant. *Denter.* 21. 23. Dicebatur autem: Magnus dies ille Sabbati; quia, præter solitam Sabbatinam festivitatem, erat unus ex septem diebus azymis, in quorum singulis victimæ Deo mactabantur; juxta illud *Denter.* 16. 2. *Immola bis Phasæ Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus.* Et 2. *Paralip.* 35. 8. Dederant Sacerdotibus ad faciendum Phasæ pecora commixta duo milia sexcenta, & boves trecentos. *Levita* quinque milia pecorum, & boves quingentos. Ita supracitati DD. Lessius d. quæst. 74. n. 22. & 23. Gonet. d. disp. 2. de Sacra. Euch. n. 114. & Em. Card. de Lauræa d. tom. 1. in 4. sent. disput. 18. n. 32. Qui cum aliis suprà allegatis firmant, esse veritatem irrefragabilem, quod CHRISTUS FILIUS DEI, qui venerat, non solvere legem, sed adimplere. *Matth.* 5. 17. manducavit Pascha cum discipulis suis, non luna decimateria, sed luna decimaquarta post Vesperas illius diei, quando jam incæperat præceptum legale panis azymi, & in eo consecravit suum Sacratissimum Corpus.

Ego autem supracitatorum DD. opinionem veneratus, & eorum sufficientes responsiones amplexus; non essem difficilis in admittenda sententia, quæ dicit: Judæorum Principes, Rabbino-
 18 rum traditiones sequutos, distulisse agni cœnam legalem ad lunam decimam quintam post Vesperam; id est sero diei Veneris Sancti, in quo passus est FILIUS DEI, & primum festum diem Azymorum esse celebratum, eo anno, ab eis luna decima sexta, id est die Sabbati sequentis. Moveor ad hanc sententiam approbandam, *Auctoritate, & Ratione.* Desumo *Auctoritatem* ab omnibus DD. & SS. PP. quicam docuerunt, quos citat Vasquez disp. 172. c. 2. & Maldonatus *Matth.* 26. inter quos S. Ioan. Chrysost. *hom.* 84. in *Joan.* & Rupertus Abb. in *Exod.* 19. præcipue Nicol. de Lyra; qui primum fuit Rabbini-
 19 us inter Judæos, antequam ad fidem Christianam converteretur, & ingrederetur Seraphicam Religionem; quam decoravit eruditissimis libris relatis à Card. Bellarm. lib. de *Scriptor. Ecclesiast.* an. 1320. cui jungo modernum quidem alium Rabbini-
 Pontificatu Alexandri VII. vocatum in Judaismo

Samuelem Nabmiam Venetum; renatum verò salutari aqua Baptismatis Julium Maurocenum Lecto-
 20 rem lingua Hebraice in Collegio de Propaganda Fide Romana: qui in Opere suo Italico, typis dato Romæ anno 1683. cujus Titulus *Via della Fede mostrata à gli Hebrei* Part. 2. c. 29. p. 544. ita scribit *Stabilita in questa guisa da Dio la notte del giorno 14. di Nisan, per la celebratione della Pasqua, & il 15. giorno per primo giorno de gli azimi festivo. per memoria dell' uscita dall' Egitto de' vostri Padri; stupisco, che habbiate havuto ordine di opporro alla legge del Signor Iddio quella de i vostri Rabbini* לעורם לאכירי פסח lo Badi Pesach Lenzolam, cioè che non si celebri mai in eterno la PASQUA, o il primo giorno festivo nella feria seconda, o Lunedì: feria quarta, o Mercoledì: feria sexta, o Venerdì. Sopra la qual finta regola appoggiati alcuni incauti pubblicarono, che se il Nostro Signore GIESU CHRISTO morì di Venerdì, non morì il giorno di Pasqua. Ma ciò si convincerà dall' Evangelio in un altro Capitolo; Et paulo post p. 546. sequitur. Quando fosse introdotta l' usanza, o la legge schivare la Pasqua nelli tre giorni del כדו Badi, non si può cavare dalla Scrittura, che è contraria, provandosi, che Israele in Galgalafecce di Venerdì la prima Pasqua, secondo, che si raccoglie da Giosué al cap. 4. vers. 19. e cap. 5. vers. 11. Et paucis interjectis, subdit: Vanno perciò immaginandosi, che quando era in piedi il secondo Tempio, fosse da i Sacerdoti imposta la Regola di non fare in certi giorni le feste, e tra le altre quella לאכיר פסח lo Badi Pesach, la Pasqua non haverli a fare nel Lunedì, Mercoledì, e Venerdì. His attentis relationibus de Rabbinnica traditione transferendi Pascha, primumque festivum diem Azymorum in sequentem diem, quando veniebat in feria sexta, satis mihi videtur probabile, quod, anno Passionis Redemptoris nostri, Princeps Judæorum, & Pharisei distulerint primum diem Paschalem ad diem Sabbati incedentes non secundum præscriptum legis Moysæ, sed secundum Calendarium Rabbino-
 21 rum, de quorum numero cum fuerint cum Tyrannus antiquus, tum Maurocenus iste modernus, & uterque attesteretur ita apud Judæos servari, iidem est deferendum, juxta regulam Juris: Standum est peritis in arte. l. 1. in princ. ff. de *Ventre inspicien.* ubi Gloss. & Bart. cap. *Proposui*, & ibi Felin. & omnes scribentes. de *Probation.* Menoch. conf. 311. n. 16. ubi citat Nevizan. lib. 5. *Sylv. Nupt.* n. 69. dicentem, posse recedi à recepta Doctore opinione ob dictum periti in arte. Concordat Maschard. de *Probation.* concl. 1174. infinitos DD. cumulans, & declarans n. 20. Regulam esse infallibilem, quando ad minus periti sunt duo; iique boni nominis, ac famæ, ut in casu nostro.

Ratione autem moveor ad tenendum, quod Judæi anno, & die Dominicæ Passionis, idem non introierint Prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha post occasum Solis ejuldem feriæ sextæ; & sic distulerint primum diem Paschalem ad diem Sabbati sequentis; nam dies Pentecostes eodem anno venit in die Dominica; si autem Pascha aut primus dies Paschalis, seu Azymorum fuisset celebratus à Judæis feria sexta; festivitas Pentecostes incidisset in diem Sabbatum. Pro intelligentia sciendum; quod Hebræi post Pascha Azymorum

22 morum habebant aliud solemnissimum Pascha, quod vocabatur *Pentecostes*, post dies quinquaginta à die prima Azymorum; nam *Pentecostes* dicitur à *Pente*, idest quinque; & à *coste*, idest decem, quia quinquies decem dies sunt inter festum Resurrectionis, & *Pentecostes*, computato utroque festo. Gloss. in *Clem. unica*, §. *Pentecostes*, de *Reliquiis*, & *Venerat. Sancti*. Celebrabant Judæi *Pentecostem* in memoriam legis datæ à Deo per Moysen in monte Sinai, quinquagesima die post eorum egressum ab Egypto. S. Leo *Serm. 1. de Pentec.* Bedæ *Hom. Vig. ejusdem festi*. S. Hier. *mens. 12.* Rabanus *de instit. Cler. lib. 2. cap. 31.* & S. Thom. 1. 2. *quæst. 102. art. 4. ad decimum*. Idcirco incipiebat numerus horum quinquaginta dierum à die secundo Paschæ Azymorum inclusivè; & expleto primo die ejusdem Paschæ Azymorum, in quo Israël exivit ab Egypto, in quo quidem secundo die Azymorum offerebatur in Templo manipulus primitiarum, ut his verbis præcipitur in *Levitic. 23. 15.* *Numerabitis ab altero die Sabbati* (idest Festi primi Azymorum) *in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomade septima, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino.* Et vocabitis hunc diem celeberrimam, atque Sanctissimum; omne opus servile non facietis in eo. Igitur videtur dicendum, Judæos, anno quo CHRISTUS passus est, celebrasse Pascha, diemque primum Azymorum, non feria sexta, ut ex præcepto legis tenebantur, sed Sabbato juxta Rabbinoſum traditionem; quandoquidem post Sabbatum cœpit prima dies ex quinquaginta, qui denumerandi erant usque ad *Pentecostem*, & sic eo anno Festum *Pentecostes* venit die Dominico; de quo dubitare non licet, nam Ecclesia Catholica ab Apostolis edocta semper celebravit, & celebrat *Pentecostem* die Dominico. Motivum autem Rabbinoſum transferendi Pascha in diem Sabbati, quando veniebat in feria sexta, non fuit timor transgrediendi Sabbatum, colligendo spicas pro formando manipulo primitiarum, offerendo per Sacerdotes Deo in Templo; ut innuere videtur Barrad. *tom. 4. Concordant Evangelist. lib. 10. c. 1. vers. non leve argumentum*. Quia illa collectio spicarum erat à lege permilla, quemadmodum permittebatur in Sabbato mactare victimas pro sacrificiis; sed quia si celebrabant Pascha Azymorum die Luna, aut die Mercurii festum *Chepur* scilicet expiationis, quod occorrebat in mense septimo, cadebat in diebus Veneris, & Dominicæ respectivè, & sic Judæi sentiebant nimium incommodum ob prohibitam in dictis diebus ciborum coctionem, & præparationem. Differre autem Pascha ad Sabbatum, si veniebat feria sexta ne festum *Scenopegiarum* hoc est *Tabernaculorum* veniret in Sabbato; in quo tenebantur cadere ramos ex arboribus, ex *Levítico præcepto 23. 40. ibi: Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimos, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & letabimini coram Domino Deo vestro*. Putabant autem hujusmodi casuram esse Sabbati prævaricationem. Ita Dominicus Macer, versatissimus in linguis, & plagis Orientalibus, quas adivit missus ab Apostolica Sede, in suo eruditissimo *Hieroglyph. verb. Pentecostes*; cujus verba me delectat transferre ad majorem Lectoris instructionem.

PENTECOSTES *πεντηκοστή*, idest, *Quinquagesima*, quia hoc solemnissimum Pascha post quinquaginta dies à Pascha Azymorum celebratur, in qua Hebræi traditionem legis à Deo Moysi factam solemniter commemorabant. Appellatur etiam *Quinquagesima*, Festum Hebdomadum, Festum Messis, Festum Primitiarum. Et penes Hebræos incipiebant prædictæ dies quinquaginta à secunda die Azymorum numerari, in quo die spicas metabant, ut Domino offerrent. In eo vero anno, in quo Redemptor noster mortem subierat, dies secunda Azymorum in Sabbato acciderat; in qua die cum prohibitum sit Hebræis omnes servile opus, ideo in alterum diem, nempe Dominicum Resurrectionis, obtulerunt manipulum spicarum Hebræi, quod non sine Providentiæ Divinæ mysterio occurreret; nam manipulus ille, in altum elevatus (juxta eorum ritum) Christi Resurrectionis Symbolum fuit. Itaque eo anno, cum ab Hebræis principium eorum *Quinquagesima* numerari inciperet à Dominica; sic etiam eorum *Pentecostes* in Dominica concludebatur, eo prorsus die, quo supra sacrum Apostolorum Collegium Spiritus Sanctus descenderat. Hoc enim pacto dubium, à multis agitatum, solvitur; quomodo, nimirum, eo anno in die Dominica Hebræicum *Pentecostes* occurreret, apud Bellarm. in *lib. 3. de Cultu Sanctior. cap. 3.* Melius tamen prædictum dubium, si Rabbinoſam observationem admitteremus, resolveretur; quod observatione cavetur in eorum Calendario, ne Azymorum Pascha in die Luna, Mercurii, ac Veneris ob sequentes rationes incidat. Non enim de die Luna, aut Mercurii celebrant prædictum Pascha, ne scilicet dies *CHEPUR* in Veneris, aut Dominica diebus cadat. *CHEPUR* siquidem Remissionem significat, quod in septimo mense celebratur, in quo die coquere, aut cibos præparare nequeunt, & jejunare debent à primis Vesperis *CHEPUR* usque ad sequentes festivas Vesperas, cum apud eos maximus culparum venia destinatus sit. Itaque si in Luna, vel Mercurii diebus Pascha celebraretur, caderet *CHEPUR* in Veneris, vel Dominica diebus, & sequeretur, quod per biduum abstineri debuissent à cibis, dum in Sabbato, vel antecedenter ad *CHEPUR*, si caderet in Dominico, vel subsequenter, si idem in die Veneris veniret, cibos præparare, aut coquere nequirent.

Subterfugiant alterius Pascha in die Veneris (notetur) ne cadens postmodum in Sabbato primus *Scenopegiarum* dies, prætermittere tenerentur, ramos ex arboribus cadere, cum sit opus servile, & in Sabbato prohibitum; nam ex cap. 23. *Levítico*, in prima die *Scenopegia* præscribitur eis talis ramorum casura, ut dicitur in dictione *HOSANNA*.

In anno igitur, in quo passus est CHRISTUS, juxta lunarem computum Hebræicum, Pascha venerat in die Veneris, quemadmodum idem Redemptor observaverat, qui Rabbinoſas traditiones minime curans, agnum comederat in die Jovis ad Vesperas Paschæ sequentis, sed secundum Rabbinoſam observationem incedentes Hebræi Pascha in die Sabbati celebrarunt, ne illud ex adductis observationibus in diem Veneris incideret, & ideo comestio agni Hebræica ad cenam Veneris facta fuit; in quo die, ut JOHANNES Evangelista c. 18. vers. 8. bene notavit: Ipsi non introierunt in Prætorio, idest in die Veneris, quando nempe CHRISTUS spatiebatur, quia in illis Vesperis manducaturierant Agnum Paschalem, ideoque subdit, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Idemque manifestavit idem Evangelista, quod tale Parasceve Pascha non erat juxta Moysæam institutionem, & Apostolicam obser-

observationem; nam CHRISTUS cum Apostolis pridie, quam pateretur, idest, in Jovis die ad cenam, comestione agni celebraverat; illa autem posticipata celebratio Hebraeorum Rabbinnica fuerat. Paucis omiffis sequitur.

Qua traditio, si pro vera habeatur, dicendum necesse est, quod manipulus spicarum in die Dominico tunc oblatus fuisset, cum Pascha in die Sabbati celebrata esset. Qua responsio magis consona videtur; non enim pro divina oblatione prohibitum erat spicas colligere, messenque exercere in die Sabbati; cum in ordine ad sacrificandum permiffum quidem sit servile opus in eodem Sabbato; sicut & pro Sacrificio mactare Victimam licitum erat: prima igitur opinio absque suppositi fundamenti insulcita remanet.

In eodem autem die, (notetur & hoc Divinae Providentiæ arcanum) in quo penes Hebraeos, propter festum Pentecostes recens frumentum Domino offerebatur, sub eadem frumenti specie CORPVS CHRISTI Divus Petrus sacrificavit; primam enim Missam in hac die intra Cenaculum Sion celebraverat. Pamellius tom. 1. Liturg. Eccles. Latina.

Tertia Conclusio. Tandem ad maiorem confirmationem Ritus Panis Azymi semper retenti ab Ecclesia Latina, nec non ab Ecclesia Græca, quousque in ea illum proscripsit Michael Cerularius, duo proponenda, & resolvenda remanent obiecta.

Primum est historia Ebionitarum hæreticorum, qui asserabant, legem Moysaycam unâ cum lege CHRISTI esse servandam, & ideò consecrabant Corpus CHRISTI in azymo, ut imitarentur Judæos; quapropter fertur ab Ecclesia constitutum, ut donec dicta hæresis extingueretur, consecratio fieret in pane fermentato. Ita S. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. ad 3. quæst. S. Bonaventura in 4. dist. 11. art. 2. quæst. 1. in fin. Scotus in eod. lib. 4. dist. 11. quæst. 6. in fine. Et alii, quos citat P. Macedo in d. Disquis. de Azymo cap. 3. pag. 34. Non leve est obiectum, quia magna est auctoritas Scholarum Principum supra relatorum, qui dictam historiam commemorant. Cæterum cum de ea apud Historicos tum antiquos, tum modernos nullum reperiatur vestigium, ut testatur idem P. Macedo d. cap. 3. pag. 35. dicens: *Evolvi plurima litterarum monumenta, ut scibi aliquod fundamentum ejus historie invenire potuissem, illud in medium afferrem, & propalarem, ut eorum (S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum) existimatio- ni consulerem; sed nihil invenire potui, quo fidem eorumdem vindicaret. Non absque causa eam negant sapientissimi Auctores, inter quos Gabriel Vasquez in d. disput. 172. Henriquez de Euchar. c. 10. Card. Baronius anno 34. & Lindanus in Apolog. pro Liturgia Petri; siquidem mutationem azymi ajunt factam à Leone Pontifice; sed cum novem habeamus Pontifices hujus nominis, in decem primis Ecclesiæ sæculis, non expriment, qualis ipse fuerit; & non est verisimile, mutationem ita solemnem decretam fuisse ab Ecclesia absque Papali, vel Conciliari, insigni, & Magistrali Constitutione, quæ vel in Corpore Juris Canonici, aut Conciliorum, aut Bullarii reperiatur. Referunt Platina in Vita S. Alexandri Primi Papæ, & Martyris, nec non Ciacconius in eadem Vita; Atque Polydorus Vir-*

gilius De Rerum Inventorib. lib. 5. cap. 10. pag. 444. quod ipse Sanctus Pontifex præcepit, ut oblatio in azymo, non autem in fermentato, in omnibus Ecclesiis conficeretur; cumque creatus fuerit Pontifex S. Alexander anno 118. & hæretici Ebionitæ extiterint in primo sæculo, ut notant Card. Baron. Ann. 74. & Salelles lib. 3. Reg. 216. num. 81. est potius credendum, quod aliqui Episcopi, seu Sacerdotes, vel Græci, vel Latini; ut se exciperent à prædictorum hæreticorum nota, proficentium esse celebrandum in azymo in continuationem legis Moysaycæ; incæperint consecrate in fermentato versus finem prædicti sæculi primi, quod statim ac Sedes Apostolica intellexit, in principio secundi sæculi, sedente in ipsa Alexandro Primo, promulgaverit Decretum de continuando ritu Panis Azymi in consecratione juxta exemplum CHRISTI, & traditionem Apostolorum; adeò ut introductio fermentati panis in Mensa Eucharistica facta non fuerit ab Universali Ecclesia, vel à Summo Pontifice in odium Ebionitici erroris, sed à nonnullis Sacerdotibus, seu Episcopis ex bono, sed particulari instinctu, quod facile potuerit accidere, præsertim in longinquis Diocæsibus, & in Armeniæ remotis regionibus, ubi erant Ebionitæ, ut observat Ciampinus d. tract. de Azymo cap. 6. pag. 141.

Secundum obiectum est, quod facit Emin. Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 23. num. 8. ex his, quæ leguntur in Vita Pontificum Romanorum Melchiadis, Siricii, & Innocentii Primi. Nam de Melchiade hæc habentur: *Hic fecit, ut oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Ergo, si oblationes consecratæ dicebantur fermentum; Eucharistia fiebat in fermentato, ipsa enim sola venit appellatione oblationis consecratæ. De Siricio, sic: *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designatus susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Illud declaratum consecratum non videtur esse nisi Eucharistia. Ergo conficiebatur in fermentato. De Innocentio Primo in ep. ad Decentium cap. 5. sic: *De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consilare voluisti, cum omnes Ecclesia nostre intra civitatem sine constituta; quarum Presbyteri, quia die ipsa propter Plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco FERMENTVM à nobis consecratum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto; quia non longè portanda sunt SACRAMENTA.* Igitur, si fermentum, quod mittebatur à Papa, die Dominico à se confectum, ad Ecclesias urbis, erat Sacramentum, signat Eucharistiam in pane fermentato. His motus obiectis Emin. Card. Bona loc. supracit. comminiscitur, jugem non fuisse ritum Azymi in Ecclesia Latina.

Sed contrarium tenendum est cum Emin. Card. Baronio, & Spondano ad Annum Christi 413. & 25 aliis, quos citat, & sequitur P. Macedo in d. Disquis. de Azymo cap. 11. & Ciampinus cap. 4. per plures §§. sequentes, ubi post varias sapientum hominum interpretationes illius vocis Fermenti, eruditè demonstrant, oblationes illas, Fermentum appellatas, non fuisse, SACRAMENTVM EUC-

CHA-

CHARISTIAM, sed *Eulogias*; idest panem simpliciter benedictum, quem Papa mittebat ad Presbyteros, & Plebem in signum fraternæ charitatis, & unionis, ut illis temporibus erat in usu, & ostendimus supra in explicatione Eulogiarum. Probatur. 1. Quia indecens fuisset mittere Sacrum CHRISTI Corpus per Parochias, ad solum finem demonstrandi fraternam charitatem. 2. Tantò magis per manus Acolytorum, quibus nunquam fas fuit attingere, vel deferre SS. **EUCHARISTIAM**. 3. Maxime quia ipsi Presbyteri Missam celebrabant, eam consecrabant, & sic populus Eucharistia non indigebat. 4. Nec turbat, quòd illud **FERMENTUM** nominetur **OBLATIONES CONSECRATÆ**, nam ex S. Aug. lib. 12. de Civitate Dei cap. 6. Omne opus, quod agitur, ut sancta societas inhaereatur Deo, dicitur **OBLATIO**, & *Sacrificium*. Immo ex Turian. lib. 5. cap. 4. contra Magdeburgen. conspersio salis, & aquæ benedictæ appellatur *Oblatio spiritalis*. 5. Etiam in Rituali Romano res, quæ simpliciter benedicuntur, dicuntur consecrari, ut in orationibus pro benedicendis Sacerdotalibus indumentis, Mappis, & Corporalibus; & est mos loquendi antiquus, nam Corporale ab Episcopo benedictum, dicitur consecratum in cap. Consulto 46. de consecr. dist. 1. 6. Immo ex Emin. Card. Baronio anno 314. Sacra **EUCHARISTIA** non nominabatur Sacramentum, quod est nomen genericum, sed **SACRA MYSTERIA**, vel **COMMUNIO**. 7. Hinc simplicem panem benedictum, & Catechumenis concessum vocavit Sacramentum S. August. lib. 2. de Peccator. merit. & remiss. cap. 26. quod observant Card. Bell. lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 24. Card. Baronius anno 313. nu. 65. Henriquez lib. 1. de Sacram. cap. 2. Suarez t. 3. in 3. part. dist. 46. s. 6. ad fin. Valquez tom. 2. in 3. part. disp. 166. cap. 4. de Ceremon. Baptism. n. 52. & alii allegati per Ciampinum in d. cap. 4. cap. 5. cap. 6. & cap. 7. & per Macedonem d. Disquis. c. 6. pag. 103. Qui in toto opere evacuant reliquas conjecturas compactas per defensores panis fermentati; in quarum relatione non immoror; sunt enim evidenter æquivocæ, & inconcludentes, quæ de jure nullam probationem faciunt. Rota decis. 620. num. 6. & decis. 629. num. 24. part. 4. recent. tom. 3. Conciol. allegat. 6. num. 32.

Tandem, corollarii loco, in hoc primo Quæsito, notandum: materiam ex azymo, quæ utitur Ecclesia Latina in consecratione **EUCHARISTIÆ**, antiquitus consuevisse appellari **OBLATAM**, quia à fidelibus offerebatur; ut ex cap. 1. Concilii Arelatensis V. & ex supradicta responsione Cardinalis Humberti ad Michaëlem Cerularium demonstrat Emin. Card. Bona d. lib. 1. c. 23. sub n. 10. 11. advertens ibidem, **OBLATAS** semper fuisse formæ rotundæ. At hodie communiter denominari **HOSTIAM** notat Dominic. Macer d. verb. in Hierolexic. sic dictam ab hoste victo; repræsentat enim passionem, & mortem **REDEMPTORIS**, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Diversas verò effigies in **HOSTIA** fuisse olim impressas, utpote **CHRISTI** ad columnam alligati, vel è sepulchro emergentis, & resurgentis docet Aloysius Novarin. in Agno Eucharistico cap. 69. Honorium autem Papam III. præcepisse anno 1220. ut in Hostiis consecrandis imago Crucifixi impri-

meatur, subdit Macer in d. verb. *Hostia*. Et ita servari nostris temporibus videmus.

DECISIONIS XII.

Ad Martii Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM.

Agitur de materia consecrationis Sanguinis Domini. Exponitur, quæ sit materia dubia, quæ inepta, quæ certa? Colliguntur figuræ ex Testamento Veteri circa vinum convertendum in Sanguinem Domini. Proponitur, & examinatur solemnis Quæstio: an aqua posita in Calice transeat in naturam vini? Id firmatur rationibus Philosophicis, & Theologicis relatis prius Controversiis varii opinionibus.

SUMMARIUM.

- 1 Materia Sanguinis Christi consecrandi quæ sit?
- 2 Materia inepta pro consecratione Sanguinis.
- 3 Romana matrona non poterant bibere vinum, sed lorum tantum.
- 4 Materia dubia pro consecratione Sanguinis, quæ sit?
- 5 Materia Sanguinis certa est vinum ex vitibus.
- 6 Beati in celo nun edent, aut bibent?
- 7 Noë ante Diluvium nescivit, quid esset vinum.
- 8 Vinum quòd futurum esset materia consecrationis Sanguinis antiquitus figuratum.
- 9 Aqua bullitacum vino, si excedat ejus quantitatem, facit illud materiam ineptam ad consecrandum.
- 10 Vinum miraculosum est materia apta consecrationis.
- 11 Aqua purissima est miscenda in calice ob plurima mysteria.
- 12 Gracibus miscet aquam in Calice; prius frigidam, dein calidam.
- 13 Aqua mixta cum vino in Calice an transubstantietur in Sanguine Christi opinionis quæque.
- 14 Aqua, secundum communior opinionem, posita in Calice prius convertitur in vinum, deinde in Sanguinem Christi.
- 15 Aqua in Calice secundum aliquos immediate convertitur in sanguinem.
- 16 Utraque opinio probabilis.
- 17 Aquam in Calice statim converti in vinum probatur rationibus Philosophicis.
- 18 Vinum habet magnam activitatem ob abundantiam spirituum ignitorum, quibus constat.
- 19 Agens physicum debilitatur in agendo, & reperiuntur à contrario.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quæ sit Materia in consecratione **SANGUINIS CHRISTI**.

Responsum fuit esse Vinum ex vitibus defacuum cum admixtione modicissima aqua in Calice.